Eme, & Rme Domine. CUm inter informandum pro Congregatione diei 10. Maii proximè præteriti, in qua fuit dilata resolutio audiverimus omnes ex EE. PP. convenire in credendo, quod in præsenti Causa super electione P. Magistri de los Rios in Provincialem Provinciæ Bethycæ omnes prorsùs ab fuerint violentiæ, omnes suffragiorum aucupationes, omnesque alii prohibiti ambitus, & monopolia, tum quia quidquid super hoc non sine magna animositate fuit à quibusdam Religiosis contrariis adinventum, & etiam ab aliquibus manifesta cum falsitate depositum, ut ostendimus in nostro memoriali additionali, nullatenùs valuit probari, ex quo nihil certum potuerit ab ullo deponi, sed dumtaxàt sub quodam imaginario rumore innixo prætensæ famæ divulgatæ de dictis violentiis, & aucupationibus suffragiorum, quod tamen à plurimis depositionibus in contrarium datis in nostris Summariis pœnitus pœnitusque excluditur, & oppositum concludentissimè probatur videlicèt summæ libertatis, rectitudinis, & quietis, qua Capitulum fuit celebratum.

Tum etiam quia aliter præsumi non poterat ob præsidentiam Excellentissimi Archiepiscopi Hispalensis, Viri adeò eximii tam nobilitate, quam morum probitate, ac pietate, nec non etiam doctrina, cujus propterea assistentia bene credi poterat, quod si quid per malam Hypothesim minùs licitum machinari voluisset occasione hujus Capituli, ab ipso Excellentissimo Archiepiscopo prorsùs fugatum, dissipatumque extitisset, ut omnia plena Religiositate explerentur pro bono Provinciæ, ut ad eam regendam optimus Religiosus eligeretur, quemadmodum talis est noster Provincialis delos Rios.

Sed ab aliquibus ex ipsis EE. PP. auditum fuerit, quod tota difficultas ab eis reducebatur quoad coartactionem eligendorum, ex quo sex tantum fuerint ab eodem Excellentissimo Archiepiscopo nominati, hinc ut quicumque scrupulus super hoc eliminetur opportunum duximus aliquid subjungere ultra ea, quæ in anteactis scriptis ex. gr. reassumendis deduximus.

Dicimus itaque hoc objectum nullam habere subsistentiam. Mero siquidem jure inspecto, neutiquam prohibita est propositio, seù restrictio ad aliquas Personas, inter quas electio cadere debeat; ut probat *Pasqualig. quæst. mor. 125. per tot. ubi num. 3. sequendo Lezzan. to. 1. qu. regul. cap. 15.* sequentem adducit rationem: *Cum secundum Ius electio fieri debeat de dignioribus, nemo privatur debita libertate, si duo, vel tres digniores nominentur, nec cæteris fit injuria*; immò licet juxtà communiorem Doctorũ Sententiam suf-

ficiat tres tantùm eligendos proponere, ut latè probavimus ex authoritatibus aliàs laudatis, tamen quod coarctatio excludatur, etiamsi unus tantùm fuerit nominatus, plenè probat *Lezzana oper. moral. to. 1. cap. 15. de election. à n. 107. usque ad fin.* ex ea vivissima ratione, quia possunt eligentes se ab electione abstinere, ac sufficit, quod remaneat liberum exercitium eligendi, quod verificatur eo ipso, quod vocales non tenentur præcisè illum unum nominatum eligere.

Multo itaque minùs ulla coarctatio prætendi potest in casu præsenti, in quo ab Archiepiscopo fuerunt selecti sex Religiosi, qui inter omnes alios dignores, & idoneiores esse poterant ad gubernandam Provinciam, inter quas vocales benè poterant eorum plenam libertatem exercere.

Indubitanter verò, quia hæc nominatio ab Excellentissimo Archiepiscopo non fuit facta taxativè, adeò ut præfat. Vocales, si hi sex nominati eis non placuissent, alios quoque eligere non potuissent ultra hunc numerum, ut in nostris terminis observat *Lotter. de re Benefic. lib. 3. quæst. 17. num. 45. & 46.* ibi: *Qui quidem actus veriùs est propositio simplex, tamquam de personis visis idoneis &c. nec propterea Proponentes arctat &c. Donat. rer. regul. t. 2. tract. 1. de natur. & for. elect. q. 10. n. 9.* ibi: *Eo fortiùs si coarctatio non sit facta cum aliorum exclusione, ut cum Superior declarat, se per d. limitationem non velle excludere meliores, si quos habent: & Bord. resolut. moral. 26. quæst. 8. num. 25.* ibi: *Vel quod licèt duo solùm proponantur, Superior se tamen declarat, nolle alios excludere, sed illos sibi videri idoneos, præ aliis.* Et de facto bene agnoscentes ipsi vocales plenam libertatem eis relictam non obstante nominatione dd. sex ad favorem etiam aliorum duorum fuit ab aliquibus ex eis latum suffragium, unde propterea frustra prætenditur coartactio, cum iidem vocales facto proprio ostenderint, eos potuisse benevisos eligere, ita, & taliter, quod nominatio facta ab Excellentissimo Archiepiscopo dici potiùs debeat fuisse resolutam in merum consilium ex firmatis per *Rotam in dec. 37. num. 24. & seqq. coram Otthobono* ibi: *Absque tamen aliquo actu coarctationem denotante, quo casu actus ille resolvitur in simplicem nominationem*, ad hoc scilicèt, ut sæpedicti vocales reflectendo ad bonum, utilitatemque Provinciæ, illos præoculis haberent, ex quibus idem bonum, & utilitas verè oriri poterat, id quod nulli melius, quàm eidem Excellentissimo Archiepiscopo innotescere poterat, qui nulla animi præventione præpeditus, sed immò ad pacem universæ Provinciæ inferendam totus intentus, & unicè coram Deo sollicitus, excogitaverat illos Religiosos proponere, adversùs quos nulla exceptio cadere valeret, undè hilari fronte asserere possumus nullum Capitulum cum tanta vocalium libertate expleri posse, sive attendatur, quod

digno-

dignores fuerunt præpositi pro electione, sive etiam animadvertatur, quod erat in potestate vocalium, quem maluissent ultra nominatos eligere. Quibus non opponitur resolutio huius Sacræ Congregationis aliàs exadverso citata, & impressa apud *Mattheucc. in Official. Cur. Eccles. cap.* 18. *num.* 2. Loquitur enim in terminis, in quibus *Prælatus Regularis* (sunt eius præcisa verba) *proponit duos, vel tres, ex quibus necessariò eligatur unus*: quod longe distat à nostris terminis, in quibus Excellentissimus Præses nòn solùm non arctavit vocales, ad necessariò eligendum unum ex sex qualificatis Religiosis, ab ipso nominatis, sed rotundis literis omnibus vocalibus declaravit: *E tornò à replicare, che l'elezzione poteva cadere in qualsivoglia proposto da S. E. ed in qualsivoglia del gremio, che fusse atto à quel Ministero, secondo le Costitutioni dell'Ordine*: Iterùm, & tertiò repetendo, *che secondo la loro coscienza dassero il voto à quello, che li gustarà maggiormente dando à ciascuno la libertà, e lasciandoli nel loro libero arbitrio, e spontanea volontà*.

Hæc robur assumunt reflectendo ad nostri Ordinis Constitutiones, earumque inviolatam observantiam, quibus mediantibus in pleno arbitrio Patris Generalis positum est restringere electiones ad certas Personas; quodque id omninò permissum sit, sivè ob non repugnantiam juris, ut supra demonstravimus, sivè ex authoritate ipsarum Constitutionum, sivè denique vigore consuetudinis tradunt *Donat. rer. regular. tom.2. tract.1. quæst.10. num.16. Passerin. de elect. cap. 2. num. 16. Lezzan. Carmelita oper. moral. tom.1. cap.15. de elect. n.107. & pluribus seqq.*

Neque relevat, quod nec Constitutiones, nec Consuetudo dependenter ab ipsis introducta haberi possint in consideratione, quia prædictæ Constitutiones non sint confirmatæ Apostolica authoritate, vel quia Patres Generales pro tempore, nunquam usi sint hac facultate restringendi nominationem ad certas personas, sed duntaxàt ad certum genus personarum, puta ad Magistros.

Etenim quidquid sit de confirmatione Apostolica, quæ non est præsentis inspectionis, cum nobis sufficiat easdem Constitutiones Ordinis esse in plena, ac viridi observantia, non modo non contradicente Sede Apostolica, sed etiam annuente eò quia constitutiones cuiuscumque Regularis Familiæ semper tamquam Leges inviolabiliter in illa servandæ sunt, ut determinatum fuit *in Concil. Trid. sess. 25. de Regular. cap.* 7. ibi: *In reliquis serventur singulorum Ordinum, vel Monasteriorum Constitutiones*: ac observant adducti per *bo. me. Ansald. dec.61. num.24.* ibi: *Neglecta fuit forma Constitutionum, quæ cum debeant iu hac materia tamquam Leges ad unguem observari, ut ait Abbas &c.* cum de

 cæ-

cætero, ut supra probavimus etiam in puncto Juris talis restrictio utique possit admitti.

Minimè verò subsistit, quod PP. Generales pro tempore hac facultate non fuerint usi, licet enim nominaverint certum genus personarum, semper tamen adjecerunt Clausulam præservativam, quod id agere intelligebant absque præjudicio juris eis competentis dictam nominationem restringendi præcisè, & taxativè ad certas personas, extra quas nulla alia posset eligi, ut ex particulis datis in nostris *Summar.* ex gratia reassumendis.

Nobis igitur satis esse debet, quod hæc facultas competere valeat Superiori nostri Ordinis, quodque si illa uti noluit, tamen si velit uti possit; neque in hoc ulla sit repugnantia in puncto juris, vel saltem ex lege Constitutionum detur talis facultas, ut recognosci potest in *par.4. cap.15. de elect. Provincial. numer.2.* ibi: *Nullus potest eligi in Provincialem, nisi fuerit nominatus, & præsentatus gremialibus Capituli à Priore Generali, vel eius Vicario de ipsius assensu*;

Semper advertendo; quod Excellentissimus Archiepiscopus, licet vigore Epistolarum P. Generalis hanc ipsam facultatem sibi arrogare valuisset; signanter, quia ædem Epistolæ fuerunt registratæ, & ad literam relatæ in Brevi Sanctissimi Domini Nostri, tamen præfat. Archiepiscopus servando ejus solitum moderamen noluit talem restrictivam taxativè adhibere; sed adhuc non attenta legitima facultate proveniente, & ab eodem P. Generali, & à S. Sede reliquit in arbitrio vocalium etiam alios eligere, ultra sex nominatos cui circumstantiæ in facto innegabili, in iure non poterit unquam dari adequata responsio.

Verum in his terminis exulat ulteriùs quæcumq; difficultas, nam dato etiam, nunquam tamen concesso, quod neque P. Generalis haberet hanc facultatem, neque per Breue Apostolicum maior facultas tributa fuerit Excellentissimo Archiepiscopo, quam ea; quæ ipsi Patri Generali competere potuisset dependenter à Constitutionibus, & consuetudine, quodque tam dictæ Constitutiones, quam consuetudo repugnarent, quod absolutissimè negamus, attamen cum PP. Vocales nòn protestati fuerint in Capitulo Prouinciali aduersus hanc eandem facultatem Archiepiscopo tributam, & aduersus nominationem sex Religiosorum ab ipso factam; sibi imputare debent dicti Vocales; quod cum in eorum arbitrio esset protestationem emittere tempore habili, & antequam ad electionem procederetur; nihilominus propriam libertatem contemnere voluerunt; se seque spontè subiecerunt nominationi factæ ab Archiepiscopo, vndè sequitur, quod nullo modo possint hodiè factum proprium impugnare vulgatis iuribus, sed nominatio sex Religiosorum dicatur ab ipsis ex eorum mera, plena, & libera voluntate acceptata, exequta, & confirmata, vt constanter tradunt

Do-

Doctores in præteritis scriptis adducti, & signantèr Lezzana dictis locis supra citatis.

Hæc protectò manifestè ostendunt minimè dubitari posse de validitate nominationis factæ ab Excellentissimo Archiepiscopo, sed quatenùs adhuc aliqua superesset dubitatio in EE. PP., quod non credimus, esset saltem ad simplicem cautelam, & non aliàs indulgenda sanatoria ad tollendum omnem, & quemcumque scrupulum, quæ quidem sanatoria tribus rationabilibus,& maximè animaduertendis circumstantijs innititur.

Primo quia præfatus Excellentissimus Archiepiscopus deuenit ad hanc nominationem sex Religiosorum bona fide, tam attenta facultate ei per Epistolas tradita à P. Generali, quàm confirmata per Breue Apostolicum, vndè in eius mente nulla vnquam dubitatio cadere poterat, quod talis facultas non adesset in P. Generali, sed sicuti idem Archiepiscopus sollicitus esse non debuerat de inquirenda eadem facultate, immò verè potuit credere, quod in P. Generali adesset attento dicto Breue Apostolico, ità constito de bona fide Archiepiscopi, subintrat sanatio dictæ nominationis, electionis P. Prouincialis, & totius Capituli, iuxtà animaduersa per *Card. de Luc. de Regular.disc.3.num.5.* ibi = *Mala fides non dignoscatur &c. tunc nullitatem sanare solet &c.isteque est etiam frequens stylus huius Sac. Congregationis in electionibus Prouincialium*.

Secundo quia vt superius dictum fuit si PP. Vocales, quibus plenè innotescebant Constitutiones Ordinis, tamen audita nominatione sex Religiosorum, & data eis ampla potestate in contrarium dicendi si quid eis obstare visum fuisset vt resultat ex actibus Capitularibus, nihilo tamen minus quidquam non opposuerunt, proinde ex hac etiam circumstantia non solùm infertur, quòd Aduersarij non possint hodie audiri, nec in linea Testium, nec in figura oppositorum ex innumeris concordantibus,quos refert, & sequitur *Rot.in dec.86. n.25. cor. Arsaldo*, ibi = *Non poterant in posteriori pendente lite mendicata attestatione sibi contradicere,neque tamquam Testes,neque tamquam oppositores*=, & concordant alij apud *Passarin. de Elect.cap.32. num.34.* ibi = *Regulam generalem esse, vt nullus electioni à se factæ possit opponi &c.* Sed lucidiùs insurgit bona fides dicti Archiepiscopi, quod verè crediderit, vt sicut nullum obstaculum adesse poterat super nominatione sex Religiosorum in iure ex supra firmatis, ità nec vllum obicem præstare valerent Constitutiones, & consuetudo, contra quas nihil fuit oppositum, immò ex numero adeò conspicuo septuaginta nouem Vocalium ex quibus Capitulum fuit compositum, septuaginta quinque adhæserunt Patri de los Rios, vnde infertur quod nedum ritè, ac maxima cum bona fide Excellentissimus Archiepiscopus credidit nominationem sex Religiosorum posse fieri, sed quod etiam ita pro constanti existimauerint omnes Vocales, atque idcirco indubitanter intret sanatoria, *Card. de Luca de Regularibus disc.11. num.12.* = *Pluries ego practicaui occasione huius-*

iusmodi quæstionum de quibus frequenter super electionibus Prouincialium agi contingit in Sac. Congregatione Episcoporum, & Regularium etiam vbi in electione adesset aliquis defectus ob quem de strictio iure illa inualida censenda veniret, adhuc tamen vbi sic nullitas, quæ proueniat solum à subtilitate iuris, adeout actus non redoleat turpitudinem, seù machinationem Sac. Congregatio solet nullitatem sanare.

Tertio denique nàm cum nota sit EE. PP. perturbatio huius Prouinciæ, adeoùt non modo Pater Generalis, verum etiam Summus Pontifex necessarium omnino agnouerit deputandam esse pro tranquilla celebratione Capituli aliquam personam non minus pietate, & Religiositate conspicuam, sed etiam authoritate præfulgentem, & ob id præsidentiam dicti Capituli delegauerit Excellentissimo Archiepiscopo, vtique in hoc saltem peculiari casu debet concedi sanatoria, quia idem Archiepiscopus, vt benè, & iuxtà votum totius Ordinis, & Summi Pontificis munus suum exequeretur, necnon tota Prouincia Bethica componeretur optatamque pacem consequeretur, non aliter id posse haberi censuit, quam præeligendo sex Religiosos, quorum quisquis fuisset electus, debitam Regularem obseruantiam, disciplinam, & tranquillitatem restitueret, quibus omnibus pensatis absolutè speramus saltem sanatoriam esse ad cauthelam concedendam, proùt in similibus circumstantijs semper illam elargiri solet hæc Sacra Congregatio teste *Cardinale de Luca in locis supra citatis*.

Quare &c.

Dominicus Vrsaya Aduoc.
Gaspar Petraglia.

Ordinis Carmelitarum Prouinciæ Bethycæ.

Eñe, & Rñe Dñe. NOn valentes DD. contrarij Defensores assertam nullitatem nostri Capituli rationum pondere, & punctualium authoritatum allegatione probare, procurant nos opprimere scripturarum mole, & philacterijs, quæ, vt dicebat *Decius cons. 699. num. 3.* secutus à *Fattinello resp 110. num. 7. tom. 1. in Romana Curia non leguntur.*

Perstringendo autem contrarias criticationes, repetitur, magnaque dos attribuitur prætensæ restrictiuæ sex dumtaxat Religiosorum, factæ ab Eño Præside.

Ceterum vltrà legales responsiones, eidem obiecto in Iure datas in nostris scripturis ex gratia reassumendis, vellem hic habere centum linguas, & centum ora, iuxtà phrasim Virgilij, ad me explicandum circa sequentem innegabilem facti circumstantiam, aduersus quam libenter replicationem viderem.

Excellentissimus Præses, post nominationem sex dignissimorum Religiosorum, factam coherenter ad disposita in nostris Constitutionibus, *part. 4. cap. 15. de elect. Prouincial. nu. 2.* ad consuetudinem, in nostra Religione vigentem, & in illa notoriam, de qua *Passerin. de elect. cap. 2. num. 7. Donat. rer. Regular. tom. 2. quæst. 10. n. 10. & Lezzan. Carmelita oper. mor. tom. 1. cap. 15. num. 109., & seqq.* Et ad facultates ei attributas in Literis patentibus Patris Generalis, à Sanctissimo D. N. specialiter confirmatas, *Disse, e tornò à replicare, che l'elezzione poteua cadere in qualsiuoglia proposto da S. E. & in qualsiuoglia del gremio, che fusse atto à quel ministero:* Tertiò repetendo, *che secondo la loro conscienza dassero il uoto à quello, che li gustarà magiormente, dando à ciascheduno la libertà, e lasciandoli nel loro libero arbitrio, e spontanea volontà:* Quo libero arbitrio, spontaneaque voluntate multi vocales vsi fuerunt, dando votum alijs, vltrà nominatos ab Excellentissimo Præside, inter quos habuit etiam vota P. Gonzalez Aduersarius.

Ex quibus remanet manifestum, quod prætextus restrictiuæ exaduerso magnificatus, est verum ens rationis.

Nec subsistit, quod facultas, P. Generali data in nostris Constitutionibus restricta sit ad determinatam speciem Religiosorum, puta ad Magistros, non autem ad certas personas: contrarium enim oculis corporeis legitur in dd. Constitutionibus, cuius verba sunt hæc: *Nullus potest eligi in Prouincialem, nisi fuerit nominatus, & præsentatus Gremialibus Capituli à Priore Generali, vel eius Vicario.* Necnon oppositum ad placitum Generalium pro tempore fuisse practicatum, docemus in *præsenti Summario num. 1.*

Quæ, vt diximus, & oportunè repetimus, dicta sint ad materiæ ornatum, quia obiectum, hoc plus iustè exaggeratum, non habet facti

assi-

assistentiam ex dicta innegabili circumstantia, & clara declaratione Excellentissimi Præsidis; *Che dassero il voto à quello, che li gustarà maggiormente dando à ciascuno la libertà*. Egregiè *Bordon. resolut. mor. 26. quæst. 8. num. 25.*, & *melius Donat. rer. regul. tom. 1. tract. 1. de natur., & form. elect. quæst. 10. num. 9.*, & *Rot. dec. 37. n. 24. & seqq. coram Ottobono*.

Est merum æquiuocum prætendere quod, Constitutiones nostri Ordinis, demandantes *nullum eligi posse in Prouincialem, nisi fuerit nominatus, & Præsentatus Gremialibus Capituli a Priore Generali*, sint oppositæ Iuri communi; Quià electio ad nominationem, & præsentationem est vna expeciebus electionis, à Iure communi approbatæ non autem Iuri oppositæ, vt practicari videmus in Beneficijs de Iurepatronatus, etiamsi animarum curam annexã habentibus ex adductis ad *Barbos. ad Concil. sess. 24. de reformat. cap. 18. n. 147.* & *seqq.* sicuti autem est in potestate electorum restringere electionem ex propria voluntate ad certum numerum personarum, ità nescimus videre quare tota nostra Religio mediantibus suis Constitutionibus non potuerit eligere d. speciem Electionis ad nominationem, à Iure approbatæ, ad quem effectum non est necessaria approbatio Apostolica in forma specifica, quæ requiritur solum in ijs, quæ sunt contra Ius commune, vt notat *Card. de Luc. de Iudic. disc. 35. num. 62.*

Repetitur paritèr exclusio P. Vicarij, Rectoris Collegij Diui Alberti Hyspalensis.

Diximus autem, & constanter repetimus, quod iste Religiosus erat incapax votandi, vti seru. seruandis excommunicatus à Delegato Apostolico Reuerendissimi Hyspaniarum Nuncij.

Ea verò, quæ ad probandam nullitatem eiusdem excommunicationis latissimè adducuntur in contrario Restrictu, illius iustitiam potiùs confirmant, satisque est respondere, quod non pertinebat ad Religiosos, in Vigilia Capituli, diiudicare de viribus dictæ Excommunicationis, promulgatæ ab Apostolico Delegato, quædum non ostendebatur reuocata, semper obstabat, neque poterant vocales illum admittere ad votandum, contra quem vrgebat excommunicatio, lata à d. Apostolico Delegato.

Æquali iustitia admissus non fuit ad votandum P. Vicarius Prior Conuentus Vrsaonensis, quia constans in facto est, quod constitutus fuerat talis paucis mensibus ante Capitulum; In nostris autem Constitutionibus *lib. 2. cap. 2. num. 11.* declarantur nullæ, irritæ, & nullius efficaciæ similes electiones, quæ fiunt infrà octo menses immeditè præcedentes Capitulum Prouinciale.

Admissio ad votandum vnius, vel alterius Religiosi, qui prætenditur exaduerso inhabilis, mirum in rei veritate est, quod exaduerso repetatur, dum ex probatis in nostro *Summario num. 1. lit. F.* remanet manifestum in facto, quod in speciali sessione habita prò Vocalium legitimatione Excellentissimus Præses ter petiit à Vocalibus, an in Capitulo adessent aliqui, patientes defectum, & inhabilitatem ad votandum, post quas interrogationes, conti-

cuere

cuere omnes, nullaque vox audita fuit in contrarium; In Iure verò, seù in nostris Constitutionibus *part.*4. *cap.*11.*num.*2. literaliter determinatur, vt in tali casu Electores illi, qui non allegarunt defectus, & inhabilitates Vocalium in dicta sessione, præcisè ordinata ad finem recognoscendi eorum habilitates, non possint ampliùs audiri, & Electio summa pace celebrata, valida sit.

Maiori insubsistentia laborant ea, quæ repetuntur, circa somniatum metum, qui vna voce excluditur ab omnibus ferè Vocalibus, quorum præcisa verba registrata fuerunt in nostro Memoriale additionali à §.4. vsque ad §.23. ex gratia recognoscendo.

Epilogatis huiusmodi quatuor assertis nullitatibus in contrario Restrictu §.35., fit transitus ad reiectionem sanationis nostræ Electionis, cum supposito, quod illa sit vndique insanabilis, vti euidenter nulla, quod cum nullo modo subsistat, humillimas repetimus preces pro affirmatiua resolutione nostri Dubij, procedendo iuxtà regulas Iuris.

Ceterùm in hac etiam parte, ad materiæ ornatum subiungimus, quod quando prætensæ nullitates, quales sunt illæ exaduerso inculcatæ, innituntur Iuris solemnitatibus, neque probantur machinationes dolosæ, & similes punibiles actus, Praxis Sacrarum Congregationum est ad omnem scrupulum tollendum easdem electiones sanare, vt notant *Matta de Causis Consistorialibus sess.*20. *num.*44. *Card. de Luc. de Canon. disc.*27. *num.*1. *& seqq. & de Regular. disc. num.*94. *&* 95. *& disc.*2. *num.*2. *& disc.*11. *n.*12., *& disc.*53. *n.*4.

Quæ omnia eò faciliùs practicari solent, quando (iuxtà præcisos terminos nostri casus) Electus est in pacifica possessione sui muneris; Quando ad illud vnanimi consensu Vocalium electus fuit; Et quando veridicum adducitur Testimonium eius bonarum qualitatum, quæ in nostro casu comprobantur ex attestatione Reuerendissimi P. Procuratoris Generalis nostri Ordinis, data in præsenti *Summario num.*2. & ex alia P. Secretarij Generalis nostræ Religionis datæ in d. nostro *Summar. n.*3.

In quorum conflictu nulla ratio habenda est affectatarum attestationum aliquorum Religiosorum nostræ Prouinciæ, qui non possunt in hac Causa duplicem facere figuram, Testium nimirum, & Accusatorum, vt alium quidem finem, sed presenti casui accomodatum notat *P. Segneri nella Predica* 35. *num.*9. ibi: *Qui sono l'istessi Accusatori, Emoli, e Testimonij*: Et quod magis est, de eisdem Aduersariorum attestationibus verificantur ea, quæ his verbis notat *Galles. de Iustit. annat. num.*13. *Omnia in illis contenta plena sunt odii, dissidij, & ambitionis.*

Tractatus demùm concordiæ, cum quo sigillatur contrarius Restrictus, circà illam se diffundes à §.56. vsque ad finem, continet quidem aliquam veritatem, sed multis abundat gratuitis contrariis assertionibus, dum difficultates illi non assentiendi ortum habuerunt à defectu potestatis illorum Religiosorum qui occasione præ-

sentis

sentis controuersiæ moram faciunt in Vrbe, quæ omnia æquali submissione, & veritate candidè expresserant in folio Emo Ponenti communicato, & per extensum registrato *in præsenti Summar. n.4.*

Non omittentes in hac parte enixè rogare *Eminentissimos* PP. vt dignentur obseruare, quod media ad introducendam, & conseruandam pacem in nostra Prouincia summo studio quæsita, & æquali attentione stabilita fuerunt in Capitulo ab Exmo Præside, omnibus Capitularibus pluries auditis, necnon cum consilio grauissimorum Religiosorum; inter quos numeratur P. M. de Lara qualificator S. Officii, quid id testatus fuit *in nostro primo Summar. nu.6.* ibi -- *Amico, sono otto, ò noue giorni, che stò lauorando in questo Conuento con l'Illustrissimo Signor Arciuescouo di Siuiglia, acciòche si faccia con la megiior pace, che sia possibile.* Quod cum ad finem perductum fuerit, mediantibus 75. concordantibus Votis, & 79. ex quibus compositum fuit d. Capitulum, quælibet immutatio dispositorum in d. Capitulo exaduerso prætensa, dat Causam nouæ perturbationi eiusdem pacis, & quietis d: Prouinciæ, quod non videtur permittendum; Præcipuè quia post idem Capitulum, *neque in scriptis, neque in voce querela vlla contra Personam, & regimen hodierni P. Prouincialis, neque quid minimum ex illa Prouincia audiuimus; Quod si res secùs se haberet, aliter esse non posset, quin ad nostri venisset notitiam, ratione nostri Officij*: Sunt verba R. P. Prioris Generalis in attestatione data *in d. præsenti Summar. num.2.* quæ omnem meretur considerationem, quia querulæ voces Religiosorum non solent facilè ab illis admitti, neque recipi, attenta notitia qualitatum suorum subditorum, iuxtà ea, quæ scripsit S. Franciscus Borgia Carolo V. Imperatori, registrata in eius vita à Ribadaneira *lib.2. cap.13.* ibi -- *Pare, che si debba dare più credito à noi, che viuiamo in essa, che à quelli, che viuono fuori.*

Quarè &c.

Dominicus Vrsaya Aduoc.
Gaspar Petraglia.

SACRÆ CONGREGATIONI
Episcoporum, & Regularium
Emo, & Rmo D.Card.
S. AGNETIS
Ordinis Carmelitarum Prouinciæ Boeticæ
PRO
Rmo P. Didaco Thoma de los Rios
& litis &c.
CONTRA
R. P. Iosephum Gonsales Sandoual,
& litis &c.

Responsio.

Typis Zinghi, & Monaldi 1726.

SACRA
CONGREGATIONE

Episcoporum, & Regularium
Emo,& Rmo D. Card.

S. AGNETIS
PONENTE

Ordinis Carmelitarum Prouinciæ Bethycæ.

PRO
Rmo P. Didaco Thoma de los Rios,
& litis &c.

CONTRA
R.P. Ioſephum Zonzales Sandoual,
& litis &c.

Nouus Reſtrictus Facti, & Iuris

Typis Zinghi, & Monaldi 1726.